



\*

Vitt. Gud. fmg. 1247

PRO-RECTOR  
 UNIVERSITATIS LIPSIENSIS  
 RECTOREM  
 QVONDAM MAGNIFICUM,  
 DOMINUM  
**JO. CHRISTIANUM**  
**SCHAMBERGIUM,**  
 PHILOS. ET MEDICINÆ DOCTOREM  
 ANATOMIÆ, CHIRURGIÆ ET CHIMIÆ PRO  
 FESSOREM PUBL. ORDINAR. FACULTATIS MEDICÆ  
 ASSESSOREM OPTIME MERITUM,  
*HORA I. HODIE XXVI. AUG. cId Idcc VII.*  
 FUNERE PUBLICO EFFERENDUM  
 CIVIBUS ACADEMICIS  
 INDICIT.



Atali quinquagesimo quinto, Potentissimi quondam Clementis-  
 simique Danorum ac Norvegorum Regis, Christiani V. auspiciis  
 Illustrissimi Comitis Güldenlovii Senioris, nummus aureus si-  
 gnatus dicatusque est, effigiem Regis exhibens, cum inscriptione:  
 VT IN AM. NON. POSSET. MORI. Inferius additum:  
 cō Idc xcix. 15. April. Averso latere Pietas aræ adstat, accenso  
 igne vina libans, cum epigraphe: HÆC. CURA. HOC.  
 VOTUM. Ab antiquissimis sæculis in usu fuit, eos, qui Regibus  
 gratulabantur, aut eos salutabant, alloquebanturve, vitam diu-  
 turnam, atque perpetuam felicitatem apprecari. Sæpe in hi-  
 storia sacra legimus dictum, Vivat Rex! Rex in seculum, vel in sempiternum vive! Inter pro-  
 fanos scriptores Ælianus in varia Historia lib. I. cap. XXXII. narrat, hominem Persam, dixisse:  
 O Rex, Artaxerxa, *δι αἰῶν & βασιλεύεις*, regnes in æternum. Explicavit hoc votum Artaba-  
 zus apud Curtium VI. v. 3. Alexandro Magno occurrens, dicensque: Tu quidem Rex: perpe-  
 tua felicitate floreas! ego cæteris lætus, hoc uno torqueor, quod, præcipiti senectute, diu frui  
 tua bonitate non possum. Non alia mens fuit Danorum, magnitudinem amoris sui testanti-  
 um, cum immortalem Regem suum esse vellent. Noverant enim ipsi, a moriendi necessitate,  
 post peccatum commissum, hominem eximium esse neminem, mortemque, æque pulsare Re-  
 gum turres, ac pauperum tabernas. Contenti igitur erant, si Rex optimus longissime viveret  
 floreretque, & ipsi eius pietate, justitia, prudentia, clementia, munificentia diu gauderent. Sed  
 spes hujus felicitatis brevissima fuit, dum ille, eodem anno, die XXV. Augusti, augustum Spi-  
 ritum cælo redderet. Qui Rectorem Academiae hujus eligunt ac proclamant, solent offeren-  
 tes potestatem, noviter electo precari vitam, sanitatem, viresque ad munus bene inchoandum,  
 continuandum, perficiendum. Etiam si enim Christiana Pietas longiori tempore bene ei esse  
 desiderat, hoc tamen in votis præcipue est, ut Rector non moriatur. Et dedit DEUS precibus  
 repetitis hoc, quod Nostræ Academiae concessum beneficium singulare, ex diuturnitate tem-  
 poris, non solum Nostræ, sed & alii observarunt & mirati sunt. Neque enim, nisi profanus ho-  
 mo, opinatus est, fortuito, ac sine Numinis providentia, accidisse, ut a condita Academia, An-  
 no Christi cō cccc Ix. anni ducenti quadraginta & unus effluerent, & tamen hoc longo satis  
 tempore, omnes Rectores, etiam ii, qui graviter ægrotassent, ex faucibus mortis erepti, purpu-  
 ram ipsi exuerent, sceptrâ ponerent, successori traderent, dum aliarum Academiarum, non ita  
 diu florentium, Rectores, haut raro vita prius, quam magistratu decederent. Dederat illa, nul-  
 lius morte turbata successio nonnullis occasionem, Rectorem Lipsiensem immortalem, velut in  
 proverbio, dicendi, quasi qui, quamdiu Rectoratu fungeretur, a communi sorte moriendi, exi-  
 mius esset. Nos vero, sine dubio, aliis superbe præferendo, meruimus, ut DEUS, gratia sua  
 ablata, Anno cō Idc LI. Christophorum Preibisium, Juris Utriusque Doctorem, Comitem Pa-  
 latinum Cæsareum, & Physices Professore Publicum, e Natione Polonica Rectorem, e vivis  
 auferret. Et Senex quidem hic erat septuaginta duorum annorum. Ab hoc tempore, Divina  
 Bonitas, duodetriginta annis, servavit Rectores vivos, usque ad An. cō Idc LXXIX. cujus die IX.  
 Aprili, Rectorem Academiae, Godofredum Schilterum, etiam Silesium, J. U. Doctorem & Pro-  
 fessorem Publicum, Collegii B. Virginis Collegiatum, integerrima ætate, quippe sex supra tri-  
 ginta annos natum, optimo habitu, validis viribus, febris ardens, præter spem & expectatio-  
 nem omnium extinxit. Dimidiatos dies vitæ Rectoris DEUS esse voluit, ut intelligeremus,  
 Senem illum, non tam languore & marcore ætatis consumptum, quam a se evocatum obiisse.  
 Quæ insperata mors, magnam anxietatem, vehementem sollicitudinem, & metum futurorum  
 malo-

malorum Nobis, qui tunc vivehamus, injecit. At nuper multo magis perculit & perturbavit Re-  
ctoris nostri, Dn. Joh. Christiani Schambergii, Philos. & Medicinæ Doctoris, Anatomix, Chi-  
rurgix, & Chimix Professoris Publici Ordinarii, & Facultatis Medicæ Assessoris obitus. Si e-  
nim tempus respicimus, tot fere anni præterierunt inter Preibisii & Schilteri, quot inter Schil-  
teri & Schambergii funus: Si ætatem; non multum dispar Schilteri & Schambergii: par ve-  
rò robor corporis utriusque: Si morbum; idem utrumque confecit: Rursum Rector dimi-  
diæ vitæ annos attigit; adeo plagam hanc priori similem sentimus. Quæ omnia a DEO, A-  
cademiæ non propitio, sic facta dispositaque esse hoc tempore, quo annus Jubilæus ab ea cele-  
brandus appropinquat tertius, & iste nunc Europæ status est, nemo facile diffitebitur, sed tristitia  
hæc præfagia calamitatum communium metuet. Ad quas avertendas, quid quemque agere  
oporteat, & omnes singulosque nosse putamus, & facturos diligenter ac serio confidimus: ut  
hic doceamus, locus tempusque non est. Quandoquidem vero, ante oculos nostros, flebiles  
Rectoris beatissimi exuvias habuimus, easque die VII. Augusti, solenni more, in Templo Pau-  
lino, interea condidimus; nobis nunc incumbit, justa funebria, ea, qua decet fieri, pompa exe-  
qui. Ad quam omnino pertinet, vitam ejus laudatissime actam, merita in Rempubl. amplis-  
sima, & beatissimum ex hac vita discessum narrare, & ad posterorum memoriam transferre.  
Nasci ipsi contigit in hac urbe, Alma Musarum Sede, Anno clō Ibc Lxvii. die XXI Juliano  
Aprilis: Patrem Casparum Schambergium habuit, e primis Civium & Mercatorum, Virum,  
ob peregrinationes in remotissimis Orientis regionibus & insulis, ab Itinerariorum scriptori-  
bus memoratum: Matrem, Reginam Mariam, natam Conradiam. Avus paternus ei fuit  
Balthasar Schamberg, Civis & Mercator, Avia Martha Finsingeria. In materna familia Avus  
occurrit Fridericus Conrad, Senator Civitatis, & Curator Xenodochii, Templique Johannæi,  
Avia Regina Hennigia. Puer ad studia literarum promptissimum ingenium ostendens, mature  
in disciplinam privatorum Præceptorum, inter quos M. Seyffert, jam Pastor Ecclesiæ Liewert  
Wolckwicensis traditus est. Sub quibus in Religionis capitibus, in artibus moribusque bonis  
eos progressus fecit, ut Anno clō Ibc Lxxxiv. die XXIII. April. in numerum Studiosorum a Re-  
ctore L. Joach. Fello, bene reciperetur. Mox Scholas Philosophicas Professorum, præcipue  
D. Val. Alberti obiit, cujus insuper peculiari informatione usus est. De profectibus ejus testa-  
ta Facultas Philosophica Anno clō Ibc Lxxxv. Baccalaureum declaravit. Quia vero Medici-  
næ se addicere intendit, ut in ea recte progredere, Studium Physicum & Chymicum plus ex-  
colendum sibi proposuit. Cujus rei gratia, eodem Anno Freibergam adiit, & ad cognoscen-  
dum res metallicas artem docimasticam, monstrante Gabriele Süssen, Monetali Exploratore  
Electoralis Saxonico, & Senatore Urbis addidit. Peritiæ suæ Metallurgicæ testimonium aufe-  
rens, moderante vitam studiaque M. Martino Knorrio, postea Mathematicum Professore Publ.  
Witebergæ, in Academiam Noricorum abiit; in qua Collegiis Professorum celeberrimorum,  
Physicis Sturmii, Anatomicis D. Joh. Mauritiï Hoffmanni diligenter interfuit. Anno clō Ibc  
Lxxxvi. mense Februario, perlustratis Urbibus quibusdam Germaniæ præcipuis, cum co-  
mite suo Lugdunum Batavorum profectus est. Hic voces Professorum famigeratissimorum,  
in Physica scientia Volderi & Senguerdii, in Medica D. Hermanni, Drelincurtii, Schachtii, le  
Mortii, Nuckii avidissime hausit. In patriam Anno clō Ibc Lxxxvii. reversus, privatae insti-  
tutioni D. Langii, Facultatis Medicæ Assessoris & Practici, se dedit, juxta tamen Lectiones Pro-  
fessorum nostrorum, D. Ammanni, D. Bohnii & aliorum, tam publicas quam privatas frequen-  
tans. Qui Præceptores, præmium eruditionis Medicæ, Gradum Baccalaureatus Anno clō Ibc  
Lxxxviii. die XI. Octobr. ei tribuerunt: Baccalaureum ante suum, anno sequente d. XXXI.  
Januar. Facultas Philosophica Magistri titulo condecoravit; quem XI. Septembr. de Gustu,  
ex naturali Philosophia, disputans Præses sibi asseruit. Post majores honores Facultas Medi-  
ca addidit, d. III. Octobr. Licentiatum, & d. V. Novembr. Doctorem solenniter renunciens.  
Postquam autem Patri, viduitas & senectus familiaris rei curam molestam facerent, Filioque  
tradere in animo haberet, ipse conjugem decenter ambivit, Annam Susannam, Virginem vir-  
tutibus cumulatisissimam, D. Joh. Friderici Falckneri, Hæreditarii in Braußwig, & Göstewitz  
ICti, Comitæ Palatini Cæsarei, Potentiss. Regis Polon. & Elector. Saxon. Consiliarii, in Scabi-  
natu Electorali Assessoris, Consulis in Civitate, Templi Nicolaitani Curatoris, filiam alteram:  
quam eodem Anno d. XXVI. Novembr. Christiano more sibi conjunctam amplexus est. Ea,  
primo conjugii anno, filiolum mortuam enixa, & ipsa vitam posuit, exoptatissimæ, sed brevis-  
simæ vitæ conjugalis desiderium tristissimum marito viduo relinquens. Anno viduitatis fini-  
to, clō Ibc xci. ad secunda vota transiit, Virginem elegantissimam, Catharinam Elisabetham,  
D. Christoph. Hartmanno Schachero, JCro, Facultatis Juridicæ Assessore, Dicasterii provincialis  
supremi, & Consistorii Ecclesiastici Advocato Ordinario, Senatore & Prætere Civitatis, natam  
filiam

filiam in matrimonium ducens; fœcundam parentem liberorum X. filiorum octo, Caspari Fri-  
 derici, Christiani Hartmanni, Christiani Gottfriedi, Christophori Quirini, Abrahami Henri-  
 ci, Johann Gottlieb, Gottlob Quirini, Gotthelf Abrahami, & duarum filiarum, Sufannæ Eli-  
 sabethæ, & Christianæ Elisabethæ: e quo numero vivunt tres filii, Caspar. Fridericus, Christi-  
 an Gottfried, Gotthelf Abraham, & filia Christiana Elisabeth: cæteri Patrem prævenerunt mor-  
 te. Ista domestica felicitas aucta est plurimis aliis divinis beneficiis. Nam non solum præ-  
 xim Medicam feliciter exercuit, sed & partu difficili laborantibus puerperis, arte, obstetricandi,  
 dextre subvenit. Habita disputatione pro Loco, de Respiratione læsa, Anno cD Idc xclll. in  
 Facultatem Medicam receptus est. Post hæc Potentiss. Rex & Elector noster primum Profes-  
 sionem Extraordinariam Chimiæ ei demandavit, cui post mortem D. Ortlobii, Anno cD Idccl.  
 Professionem Ordinariam Physiologiæ adjunxit: Fatis autem functo D. Petermanno, Anno cD  
 Idcc Iv. Anatomiam & Chirurgiam publice docere iussit. Qua fide, qua industria, ac laude offi-  
 ciis suis præfuerit, tum publice tum privatim, etiam in Curiosis Collegiis, Studiosos informan-  
 do, in præsentem non attinet dicere. Academiam Rector prudentissime fidelissimeque bis gu-  
 bernavit, semel Anno cD Idc cII. & iterum hoc anno sibi emortuali. His omnibus, & si fere  
 omne tempus impendendum esset, nihilominus ægrotis, cujuscunque sortis, consilia & auxilia  
 sua non denegavit, sed rogatus promte tulit. Quibus cum accederent pietas erga DEUM, can-  
 dor, humanitas, officiositas, temperantia, beneficentia, ab omnibus honoratus est & ama-  
 tus. Monumentum Rectoratus sui prioris ære perennius exegit. Quod enim Fiscum in sola-  
 tium viduarum & orphanorum, quos Professores relinquunt, habeamus fundatum, & accessio-  
 nibus quibusdam donatum, Rectoris Schambergii pietati, prudentiæ & auctoritati debetur. A-  
 liis præclaris factis, in hoc Rectoratu altero, immo omni vitæ tempore, fidem & amorem suum  
 Academia probaturus erat, si diutius vivere ipsi concessum fuisset. Nunc ad partem scripturæ  
 venimus, nobis ingratiſſimam longe, non prætermittendam tamen. Die XXIV. Julii ægro-  
 tare cepit, corporis debilitatem magnam, & capitis dolores sentiens. His ferme cessantibus, se-  
 quenti die, in Templo Nicolaitano, inter Convivas Cœnæ Dominicæ, devotus fuit. Vesperis  
 cœnans in præcordiis angebatur, vehementer calebat, sitiebat, ut surgeret, & in lectum se reci-  
 peret. In hoc inquietam noctem traxit. Febrem ardentem adesse non amplius erat obscurum.  
 Qua de causa mox præstantissimæ medicinæ adhibebantur: quarum virtute repressus febrilis  
 ardor videbatur, dum Symptomatibus aliquandiu quiescentibus, ægrotus quoque quiete ali-  
 qua, & cibis paucis frueretur. Sed die XIX. paroxysmus impetuosior recurrebat, incredibili  
 æstu, maximis doloribus capitis, horis quadraginta affligens decumbentem & debilitans. Ex  
 quibus Rector noster facile colligens, vitæ suæ finem non procul abesse, die II. Augusti deside-  
 ravit viatico sanctissimo rursus se instruere: quo accepto e manu Confessionarii sui, L. Joh.  
 Dornfeldii, solatiisque ex ejus ore auditis, dixit, in voluntate DEI paterna se plane acquiescere.  
 Non diu post convulsiones satis magnas & deliquia passus est. Medici non intermittebant su-  
 um, quod erat, omni studio facere: at fortiora erant symptomata, quam ut expugnari, & vi-  
 res nimis fractæ, quam ut restaurari possent. Die igitur IV. Augusti, inter horam III. & IV.  
 matutinam, inter preces adstantium, quas mente profecutus est, cum voce non liceret, expira-  
 vit animam tranquille, & acquievit. Annos XXXIX. cum mensibus IV. & diebus VI. explevit  
 vivendo. Cujus funus, cum ad horam I. deinde sit futurum, vestrum erit, Cives Academici,  
 exequi illud copiose ac comitari. Non Professore amissimus modo, sed multo amplius, Ca-  
 put: quod vulnus non potest non summe dolere. Precemur autem DEUM ardentibus votis,  
 ut, quicquid caliginosi ominis ex hoc casu, & aliis præfagiis capimus, non sinat evenire,  
 sed pro bonitate sua, Ecclesiam, Politiam, inque ea Academiam nostram  
 tegat, muniat, fervet, ornet, augeat. P. P. d. XXVI. Augusti,  
 Anno Christiano cD Idc cvI.

---

L I P S I Æ,  
 Literis IMMANUELIS TITII.

Datum der Entleiherung bitte hier einstempeln!

06. Nov. 1936


SÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

SLUB DRESDEN



3 2432207 2 4

